

infaustæ multis contrucidatis, Varadini obsidetur; inde dilapsus, recenti suorum coacta manu, stragem majori conatu renovat; reliquæ in Podoliam, & Rusciam effusæ a Rusciæ Palatino conficiuntur. Zatuorum deinde, ac Muncazium oppida Suendius obsessa, deditioe recipit, Hustium vallo circumcingit. Selymus ea de re certior factus Græciæ præfectum validis copiis, ut cum Portavo conjunctus, bellum administret, in Pannoniam proficisci jubet. Interim Verantius Agriensis Episcopus, ac Christophorus Tifembachius legati, qui de pace cum Selymo agerent, a Cæsare Byzantium mittuntur; quæ tandem anni sequentis initio ea lege est confecta, uti quæ quisque eo bello ceperat, retineret, Daciæ quoque Principe comprehenso: octavo quoque anno induciarum (hoc enim paci prætendi nomen magis Cæsari convenire visum) jura renovarentur. Selymus vero a patris consiliis abhorrens, initia sui imperii non ab armis, ut plerique Ottomanorum Principes consueverant, auspicatus; sed iis, quæ ingenti copia ad voluptates, ac delicias in Byzantii regia affluunt, irretitus, nullum majorum virtutis specimen editurus videbatur; non militari disciplina corpus, atque animum exercere; non victus parsimonia ad perferendos labores assuescere; domi inter septa, mulieribus stipatus, vitam ducere; vino lege Turcis vetito indulgere. Inde terror ille, quem patris arma sæpius christianis Principibus incusserant, elanguescere, atque ex ingenti superioris anni apparatu in singulorum animis exorta sollicitudo depelli; ut iis curis soluti ad intestina diffidia tollenda, vel compescenda Reges vehementius converterentur.

Nam Philippus, eorum neglecta sententia, qui mitius cum Belgis agendum existimabant, cum magnis tum equestribus, tum pedestribus copiis Albanum Ducem in Belgium misit; qui ex Hispaniis in Italiam delatus, ac per Insubres, Allobroges, Sequanos, & Leucos in Belgium profectus, in præcipuis quibusque urbibus præsidiis dispositis, magno universos terrore perculit; repente præter omnium expectationem Hornio, atque Egmondano magni inter Belgas nominis, atque auctoritatis comprehensis, ac custodiæ traditis; qua ex re complures ad foederatos accessere, durissimaque Albani imperia perosi,

1567

*Maximilianus legatos de pace Byzantium mittit.*

*Pax inter Cæsarem & Turcas.*

*Hornius & Egmondanus Princeps ab Albano Duce in custodiâ traduntur.*